



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XXV. Non inveniri Deum inter imagines rerum corporalium, nec affectuum, & præstare ipso animo, sunt enim hæc omnia mutabilia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

principia naturalia, ut nulla oblivione deleri possit. Ille castas delicias subministrat animæ, consideranti in illo esse omne bonum, & non esse ullum malum.

CAP. XXV.

Non inveniri Deum inter imagines rerum corporalium, nec affectuum, & prestare ipso animo, sunt enim hæc omnia mutabilia.

I. **S**ed ubi manes in memoria mea, tu Domine? ubi illic manes? quale cubile fabricasti illic tibi? quale sanctuarium ædificasti tibi? Tu dedisti hanc dignationem memoriæ meæ, ut maneam in ea; sed in quæ ejus parte maneam, hoc considero. Transcendi enim partes ejus, quas habent & bestia, cum te recordarer; quia non ibi te inveniebam inter imagines rerum corporalium, & veni ad partes ejus, ubi commendavi affectiones animi mei, nec illic invenite. Et intravi ad ipsius animi mei sedem, quæ illic est in memoria mea, quoniam sui quoque meminit animus, nec ibi tu eras. Quia sicut non es imago corporalis, nec affectio viventis, qualis est cum latamur, contristamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliviscimur, & quicquid hujusmodi est: ita nec ipse animus es, quia Dominus Deus animi tu es. Et commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis manes super omnia; & dignatus es habitare in memoria mea, ex quo te didici. Et quid quaero, quo loco ejus habites, quasi vero loca ibi sint? Habitas certe in ea, quoniam tui

R 7 memini,

memini, ex quo te didici; & in ea te invenio, cum recordor te.

N O T Æ.

- a *Ex quo te didici*) discimus Deum natura magistra cum ad rationis usum pervenimus; sed ea notitia admodum obscura est. Accedit ergo Magisterium fidei Christianæ, unde clarius nobis innotescit summum illud bonum.

C A P. XXVI.

Deum inveniri in se supra nos, dum veritatem ejus consulimus, omnibus liquide respondentem.

1. **V**bi ergo te inveni, ut discerem te? Neque enim jam eras in memoria mea, a priusquam te discerem. Vbi ergo inveni te, ut discerem te, b nisi in te supra me? Et c nusquam locus, & recedimus, & accedimus, & nusquam locus. d Ubique veritas præfides omnibus consulentibus te, simulque e respondes omnibus, etiam diversa consulentibus. f Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt. Omnes, unde volunt, consulunt, sed g non semper, quod volunt, audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod à te audierit.

N O T Æ.

- a *Priusquam te discerem*) Non est Deus in mente & memoria nostra per notitiam claram, nisi fidei lumine illustremur. Sic S. D. non censuit se nosse Deum; nisi postquam fide magistra didicit, quis & qualis esset, ejusque cognitio ante infor-
mis